

non audiatis verba calumniatoris. Quidquid contradicunt,
homines dicunt : hoc autem Deus dicit.

ENARRATIO

IN PSALMUM XXII.

Psalmus ipsi David.

I. ECCLESIA loquitur Christo : « Dominus pascit me, et
» nihil mihi deerit¹, » Dominus Jesus Christus pastor
meus est, et nihil mihi deerit.

II. « In loco pascuae ibi me collocavit². » In loco pas-
cuæ incipientis ad fidem me perducens, ibi me nutrien-
dum collocavit. « Super aquam refectionis educavit me. »
Super aquam baptismi, quo reficiuntur qui integritatem
viresque amiserant, educavit me.

III. « Animam meam convertit. Deduxit me in semitis
» justitiae, propter nomen suum³. » Deduxit me in an-
gustiis itineribus, quæ pauci ambulant, justitiae suæ : non
propter meritum meum, sed propter nomen suum.

IV. « Nam et si ambulem in medio umbræ mortis. »
Nam et si ambulem in medio vitæ hujus, quæ umbra
mortis est. « Non timebo mala, quoniam tu mecum es⁴. »
Non timebo mala, quoniam tu habitas in corde meo per
fidem : et nunc mecum es, ut post umbram mortis etiam
ego sim tecum. « Virga tua et baculus tuus, ipsa me con-
» solata sunt. » Disciplina tua tanquam virga ad gregem
ovium, et tanquam baculus jam ad grandiores filios et ab

¹ Psal. xxii, 1. — ² Ibid. 2. — ³ Ibid. 3. — ⁴ Ibid. 4.

animali vita ad spiritalem crescentes ipsa me non affixe-
runt ; magis consolata sunt : quia memor es mei.

V. « Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos
» qui tribulant me⁵. » Post virgam autem, qua parvulus
et animalis in grege pascuis erudiebar, post illam virgam
cum esse cœpi sub baculo, parasti in conspectu meo men-
sam, ut non jam lacte alar parvulus², sed major cibum
sumam, firmatus adversus eos qui tribulant me. « Impin-
» guasti in oleo caput meum. » Lætificasti lætitia spiritali
mentem meam. « Et poculum tuum inebrians quam præ-
» clarum est³ ! » Et poculum tuum oblivionem præstans
priorum vanarum delectationum quam præclarum est !

VI. « Et misericordia tua subsequetur me omnibus
» diebus vitae meæ⁴ : » id est, quandiu vivo in hac mor-
tali vita, non tua, sed mea. « Ut inhabitem in domo Do-
» mini in longitudinem dierum. » Subsequetur autem me
non hic tantum, sed etiam ut inhabitem in domo Domini
in æternum.

ENARRATIO

IN PSALMUM XXIII.

Psalmus ipsi David, prima sabbati⁵.

I. PSALMUS ipsi David, de clarificatione et resurrectione
Domini, quæ matutino primæ sabbati facta est, qui jam
dies dominicus dicitur.

II. « Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum

¹ Psal. xxii, 5. — ² 1 Cor. iii, 2. — ³ Psal. xxii, 5. — ⁴ Ibid. 6. —

⁵ Psal. xxiii, 1. — ⁶ Rom. viii, 34. — ⁷ Ephes. ii, 11. — ⁸ Psal. xxviii, 2.

» et universi qui habitant in ea¹ : » cum clarificatus Dominus annuntiatur in fidem omnium gentium, et universus orbis terrarum fit Ecclesia ejus. « Ipse super maria fundavit eam². » Ipse firmissime stabilivit eam super omnes fluctus saeculi hujus, ut ab ea superarentur, nec nocerent ei. « Et super flumina preparavit eam. » Flumina in mare fluunt, et cupidi homines labuntur in saeculum : etiam istos superat Ecclesia, quae devictis per Dei gratiam cupiditatibus saecularibus ad recipiendam immortalitatem charitate parata est.

III. « Quis ascendet in montem Domini³? » Quis ascendet in altissimam justitiam Domini? « Aut quis stabit in loco sancto ejus? » Aut quis permanebit in eo, quo ascendet, super maria fundato et super flumina preparato loco?

IV. « Innocens manibus et mundus corde. » Quis ergo illuc ascendet, et permanebit ibi, nisi innocens in operibus, et mundus in cogitationibus? « Qui non accepit in vano animam suam⁴. » qui non in rebus non permanentibus deputavit animam suam, sed eam immortalem sentiens, aeternitatem stabilem atque incommutabilem desideravit. « Et non juravit proximo suo in dolo. » Et ideo sine dolo, sicut simplicia et non fallentia sunt aeterna, ita se praebevit proximo suo.

V. « Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo⁵. »

VI. « Hæc est generatio querentium Dominum. » Sic enim nascuntur qui querunt eum. « Querentium faciem Dei Jacob⁶. Diapsalma. » Querunt autem faciem Dei, qui posterius nato primatum dedit.

VII. « Tollite portas, principes vestri. » Quicumque

¹ Psal. xxiiii, 1. — ² Ibid. 2. — ³ Ibid. 3. — ⁴ Ibid. 4. — ⁵ Ibid. 5. — ⁶ Ibid. 6.

principatum in hominibus queritis, auferte, ne impediант, aditus quos vos statuistis cupiditatis et timoris. « Et elevamini portæ aeternales¹. » Et elevamini aditus aeternæ vitæ, renuntiationis saeculo et conversionis a dDeum. « Et introibit rex gloriæ. » Et introibit rex, in quo sine superbia gloriemur : qui superatis portis mortalitatis, et patefactis sibi coelestibus, implevit quod ait : « Gaudete, quoniam ego vici saeculum². »

VIII. « Quis est iste rex gloriæ? » Pavet admirans natura mortalis et querit, « Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis et potens³. » Quem tu infirmum et oppressum putasti. « Dominus potens in bello. » Contrecta cicatrices, et senties reparatas, et immortalitati redditam infirmitatem humanam. Persoluta est quæ debebatur terris, ubi cum morte belligerata est, clarificatio Domini.

IX. « Tollite portas, principes vestri⁴. » Hinc jam perget in cœlum. « Exclamet iterum prophetica tuba : « Tollite portas etiam coelestes principes, quas habetis in animis hominum, qui adorant militiam cœli⁵. » Et elevamini portæ aeternales. » Et elevamini portæ aeternæ justitiae, charitatis et castitatis, per quas anima diligit unum verum Deum, et non fornicatur sub multis qui appellantur dii. « Et introibit rex gloriæ. » Et introibit rex gloriæ, ut ad dexteram Patris interpellet pro nobis⁶.

X. « Quis est iste rex gloriæ? » Quid et tu princeps potestatis aëris hujus miraris⁷, et queris, « Quis est iste rex gloriæ. Dominus virtutum ipse est rex gloriæ⁸. » Et jam vivificate corpore, supra te pergit ille tentatus; supra omnes Angelos tendit, ab Angelo prævaricatore ille tentatus. Nemo vestrum se objiciat atque intercludat iter nostrum, ut tanquam Deus colatur a nobis : neque Prin-

¹ Psal. xxiiii, 7. — ² Joan. xvi, 33. — ³ Psal. xxiiii, 8. — ⁴ Ibid. 9. —

⁵ 4 Reg. xvii, 10. — ⁶ Rom. viii, 34. — ⁷ Ephes. ii, 2. — ⁸ Psal. xxiiii, 10.

cipatus, neque Angelus, neque Virtus nos separat a charitate Christi¹. « Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principe²: ut qui gloriatur, in Domino glorietur³. » Sunt quidem iste in hujus mundi ordinatione virtutes, « Sed Dominus virtutum ipse est rex gloriae. »

ENARRATIO

IN PSALMUM XXIV.

In finem, Psalmus ipsi David⁴.

I. CHRISTUS, sed in Ecclesiæ persona, loquitur. Nam magis ad populum christianum conversum ad Deum pertinent quæ dicuntur.

II. « Ad te, Domine, levavi animam meam⁵: » desiderio spiritali, quæ carnalibus desideriis conculcabatur in terra. « Deus meus in te confido, non erubescam⁶. » Deus meus, ex eo quod in me confidebam, perductus sum usque ad istam infirmitatem carnis; et qui, deserto Deo, sicut Deus esse volui, a minutissima bestiola mortem timens, de superbia mea irrisus erubui: jam ergo in te confido, non erubescam.

III. « Neque irrideant me inimici mei⁷. » Neque irrideant me, qui serpentinis atque occultis suggestionibus insidiantes, et suggestentes Euge, Euge, ad hæc dejecrunt. « Etenim universi qui te expectant non confundentur. »

¹ Rom. viii, 39. — ² Psal. cxvn, 9. — ³ 1 Cor. i, 31. — ⁴ Psal. xxiv, 1.
— ⁵ Ibid. — ⁶ Ibid. 2. — ⁷ Ibid. 3.

IV. « Confundantur inique facientes vana. » Confundantur inique facientes, ad acquirenda quæ transeunt. « Vias tuas, Domine, notas fac mihi, et semitas tuas edoce me¹: » quæ non latæ sunt, nec multitudinem ad interitum ducunt; sed angustas et paucis notas semitas tuas² edoce me.

V. « Dirige me in veritate tua: » errores fugientem. « Et doce me: » nam per me ipsum non novi, nisi mendacium. « Quoniam tu es Deus salutaris meus: et te » sustinui tota die³. » Neque enim dimissus a te de paradyso⁴, et in longinquam regionem peregrinatus⁵, per me ipsum redire possum, nisi occurras erranti: nam reditus meus toto tractu temporis sæcularis misericordiam tuam sustinuit.

VI. « Reminiscere miserationum tuarum, Domine⁶. » Reminiscere operum misericordiæ tuæ, Domine, quia tanquam oblitum te homines putant. « Et quia misericordiæ tuæ a sæculo sunt. » Et hoc reminiscere, quia misericordiæ tuæ a sæculo sunt. Nunquam enim sine illis fuisti, qui etiam peccantem hominem vanitati quidem, sed in spe subjecisti, et tot tantisque creaturæ tuæ consolacionibus non deseruisti.

VII. « Delicta juventutis meæ et ignorantiae meæ ne memineris⁷. » Delicta confidentis audaciæ meæ et ignorantiae meæ ne ad vindictam reserves, sed tanquam excidant tibi. « Secundum misericordiam tuam memor esto mei, Deus. » Memor esto quidem mei, non secundum iram qua ego dignus sum, sed secundum misericordiam tuam quæ te digna est. « Propter bonitatem tuam, Domine. » Non propter meritum meum, sed propter bonitatem tuam, Domine.

¹ Psal. xxiv, 4. — ² Matth. vii, 13, 14. — ³ Psal. xxiv, 5. — ⁴ Gen. iii, 13. — ⁵ Luc. xv, 13. — ⁶ Psal. xxiv, 6. — ⁷ Ibid. 7.

VIII. « Dulcis et rectus Dominus¹. » Dulcis est Dominus, quandoquidem et peccantes et impios ita miseratus est, ut omnia priora donarit : sed etiam rectus est Dominus, qui post misericordiam vocationis et veniae, quae habet gratiam sine meritis, digna ultimo judicio merita requiret. « Propter hoc legem statuet delinquentibus in via². » Quia misericordiam prærogavit ut perduceret in viam.

IX. « Diriget mites in judicio³. » Diriget mites, nec perturbabit in judicio eos qui sequuntur voluntatem ejus, nec ei resistendo præponunt suam. « Docebit mansuetos vias suas. » Docebit vias suas, non eos qui præcurrere volunt, quasi se ipsos melius regere possint : sed eos qui non erigunt cervicem, neque recalcitrant, cum eis jugum lene imponitur et sarcina levis⁴.

X. « Universæ viæ Domini misericordia et veritas⁵. » Quas autem vias docebit eos, nisi misericordiam qua placent, et veritatem qua incorruptus est? Quorum unum præbuit donando peccata, alterum merita judicando. Et ideo universæ viæ Domini, duo adventus Filii Dei, unus miserantis, alter judicantis. Pervenit ergo ad eum tenens vias ejus, qui nullis meritis suis se liberatum videns, deponit superbiam, et deinceps cavet examinantis severitatem, qui clementiam subvenientis expertus est. « Requiescentibus testamentum ejus et testimonia ejus. » Intelligunt enim Dominum misericordem primo adventu, et secundo judicem, qui mites et mansueti requirunt testamentum ejus, cum sanguine suo nos in novam vitam redemit : et in Prophetis atque Evangelistis testimonia ejus.

XI. « Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis pec-

¹ Psal. xxiv, 8. — ² Ibid. — ³ Ibid. 9. — ⁴ Matth. xi, 30. — ⁵ Psal. xxiv, 10.

» cato meo : multum est enim¹. Non solum peccata mea donasti, quæ antequam crederem admisi : sed et peccato meo, quod et multum est, quia et in via non deest offensio, sacrificio contribulati spiritus propitiaberis.

XII. « Quis est homo, qui timeat Dominum? » Unde incipit venire ad sapientiam. « Legem statuet ei in via, » quam elegit². » Legem statuet ei in via, quam liber apprehendit, ne impune jam peccet.

XIII. « Anima ejus in bonis demorabitur, et semen ejus hæreditate possidebit terram³. » Et opus ejus hæreditatem solidam instaurati corporis possidebit.

XIV. « Firmamentum est Dominus timentium eum⁴. » Infirmorum videtur esse timor, sed firmamentum est Dominus timentium eum. Et nomen Domini quod glorificatum est per orbem terrarum, firmat timentes eum. « Et » testamentum ipsius ut manifestetur illis. » Et facit ut testamentum ipsius manifestetur illis, quia hæreditas Christi gentes sunt, et termini terræ.

XV. « Oculi mei semper ad Dominum ; quia ipse elevat let de laqueo pedes meos⁵. » Nec timeam pericula terrena, dum terram non intueor : quoniam ille quem intueor, elevat de laqueo pedes meos.

XVI. « Respice in me, et miserere mei : quoniam unicus et pauper sum ego⁶. » Quoniam unicus populus, unicæ Ecclesiæ tuae servans humilitatem, quam nulla schismata vel hæreses tenent.

XVII. « Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt⁷. » Tribulationes cordis mei, abundante iniunctate et refriescente charitate, multiplicatæ sunt. « De necessitatibus meis educ me. » Quoniam hæc tolerare mihi necesse

¹ Psal. xxiv, 11. — ² Ibid. 12. — ³ Ibid. 13. — ⁴ Ibid. 14. — ⁵ Ibid. 15. — ⁶ Ibid. 16. — ⁷ Ibid. 17.

est, ut perseverans usque in finem salvus sim¹, de necessitatibus meis educ me.

XVIII. « Vide humilitatem meam et laborem meum². » Vide humilitatem meam, qua nunquam me jactantia justitiae ab unitate abrumpo; et laborem meum, quo indiscretos mihi commixtos suffero. « Et remitte omnia peccata mea. » Et his sacrificiis propitiatus remitte peccata mea, non illa tantum juventutis et ignorantiae meae antequam crederem, sed etiam ista quæ jam ex fide vivens per infirmitatem vel vitæ hujus caliginem admitto.

XIX. « Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt³. » Non solum enim fortis, sed etiam in ipsa intus Ecclesiæ communione non desunt. « Et odio iniquo oderunt me. » Et oderunt me diligentem se.

XX. « Custodi animam meam, et erue me⁴. » Custodi animam meam, ne decliner ad imitationem eorum, et erue me a perplexitate, qua mihi miscentur. « Non confundar, quoniam speravi in te. » Non confundar si forte insurgunt adversum me: quoniam non in me, sed in te speravi.

XXI. « Innocentes et recti adhæserunt mihi, quoniam sustinui te, Domine⁵. » Innocentes et recti non præsentia corporali miscentur tantum, sicut mali, sed consensione cordis in ipsa innocentia et rectitudine adhærent mihi: quoniam non defeci, ut imitarer malos; sed sustinui te, expectans ventilationem ultimæ messis tuæ.

XXII. « Redime, Deus, Israël ex omnibus tribulationibus ejus⁶. » Redime, Deus, populum tuum, quem præparasti ad visionem tuam, ex tribulationibus ejus, non tantum quas foris, sed etiam quas intus tolerat.

¹ Matth. x, 22. — ² Psal. xxiv, 18. — ³ Ibid. 19. — ⁴ Ibid. 20.

⁵ Ibid. 21. — ⁶ Ibid. 22.

ENARRATIO I

IN PSALMUM XXV.

Ipsi David¹.

I. Ipsi David, non mediatori homini Christo Jesu, sed omni Ecclesiæ jam perfecte in Christo stabilitæ, attribui potest.

II. « Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ambulavi². » Judica me, Domine, quoniam post misericordiam quam tu mihi prærogasti, innocentiae meæ habeo aliquod meritum, cuius viam custodivi. « Et in Domino sperans non movebor. » Nec tamen etiam sic in me, sed in Domino sperans, permanebo in eo.

III. « Proba me, Domine, et tenta me³. » Ne quid tamen occultorum meorum me lateat, proba me, Domine, et tenta me, notum me faciens, non tibi quem nihil latet, sed mihi atque hominibus, « Ure renes meos et cor meum. » Adhibe medicinale purgatorium, quasi ignem, delectationibus et cogitationibus meis. « Quoniam misericordia tua ante oculos meos est⁴. » Quoniam ne illo igne constumar, non merita mea, sed misericordia tua, qua me ad talem vitam perduxisti, ante oculos meos est. « Et complacuit in veritate tua. » Et quia disiplicuit mihi meum mendacium, complacuit autem veritas tua, placui etiam ipse cum illa et in illa.

IV. « Non sedi cum concilio vanitatis. » Non elegi apponere cor meum his qui providere conantur, quemad-

¹ Psal. xxv, 1. — ² Ibid. — ³ Ibid. 2. — ⁴ Ibid. 3.